

EXTRAIT DES REGISTRES du Conseil Priué du Roy.

SVR ce qui a esté representé au Roy en son Conseil, qu'au preiudice des defenses de sa Majesté de ne traiter ny agiter és Escoles de Medecine de l'Vniuersité de Paris la question de la vertu & qualité des Eaux Minerales, dont sadite Majesté a ordonné qu'il seroit disputé en sa presence, Maistre Iean de Gorris Docteur en ladite Faculté pretend faire soustenir par Maistre Pierre Yuelin Bachelier vne These sur ce suiet : ce qui seroit contreuenir aux ordres de sadite Majesté, & pourroit exciter trouble & desordre en ladite Faculté. A quoy il est necessaire de pouruoir. LE ROY en son Conseil a faict defenses ausdits de Gorris, Yuelin, & tous autres Docteurs & Bacheliers de ladite Faculté, de soustenir ny faire soustenir aucunes Theses, disputer, ny faire disputer directement ou indirectement du fait desdites Eaux Minerales, vertu & qualité d'icelles, iusques à ce qu'autrement par sa Majesté en ait esté ordonné ; enioint sa Majesté au Doyen de ladite Faculté d'y tenir la main, à peine d'en respondre en son propre & priué nom. Faict au Conseil Priué du Roy, tenu à sainct Germain en Laye le seiziesme iour de Decembre, mil six cens trente trois. Signé, LETENNEVR.

QVAESTIO MEDICA

79. 63.

An viſceribus nutritiis æſtuantibus aquarum Metallicarum potus ſalubris?

VITA animantium conſiſtit in calido & humido; illîc ignis & aquæ concors eſt diſcordia; Aqua rerum omnium principium eſt: Elementum ignis mobilitate firmius, aere denſius, terrâ viuacius: Æternum pabulum aeri impertit, inexhauſtam terræ ſiccitatem ſatiat, ignis impetum coercet, miſcibilia cogit in vnionem naturæ, vt generandis animantibus, ſic nutriendis efficax: quàm illa ſe ſuperæ inferæque naturæ blandis miſcet amplexibus; quàm illarum ſplendet virtutibus; illinc quas accepit dotes, largitur cunctis viuentibus illapſu fœcundo, vt ſuſcipiendis illis propter humiditatem aptiſſima; ſic retinendis tenax, mirâ ſui λεπτομερείῃ omnia intimè permeans, & τῶν δυνάμεων, quas inde haurit communione, ea quibus permiſcetur corpora pariter inſigniens, ſiue ſit in corporibus animantium aqua potu recondita, ſiue balneis tepentibus extrinſecùs adhibita: verum quamquàm multiuaga illa, ceu ardens mœchâ libidine, geſtit cunctarum rerum deſyderiis, gaudet tamen gratiore ſibi ignis commercio, ſed ille quaſi totus in furtis ſit, celari deſiderat; in terræ viſceribus ignis fœcundat maxime, & plantas metalla, mineralia, ſuis ornat & beat amoribus.

PLANTIS ab aquâ & igne ἀρχὴ καὶ δυνάμις; aqua τὴν ὕλην, ignis ἐντελέχειαν ſuppeditat; aquâ nutriuntur, igne vegetant: ſed caue vſtulatorem illum intelligas, cœleſtem puta vel æthereum, qui fœcundat ſemina, proportione reſpondens elemento ſtellarum, qui formarum dator eſt, non elementorum vis terrena: Ex illis mira naſcitur plantarum varietas, virtus, pulchritudo: pulchritudine rapimur hyacinthorum, tuliparum, anemonum, meleagridum; varietate ſtupeſcimus, virtute viuimus: Verum quàm ſe metallis & mineralibus altiùs inſerit atque penitiùs elementorum vis illa ζωτικὴ; Metallum vocamus cinerem aquâ madidum, in quem, dum ſuas ignis intendit vires, metalla generat, non ſulphure, non mercurio, vel quouis humore pingui conſtantia: in terræ viſceribus prognata, odores, ſapores, colores, & qualitatum ſpecies varias ſortiuntur ex agentis & patientis diſcrimine: nobiliora ſunt aurum & argentum, His inferiora æs, ſtannum, plumbum, ferrum: mineralia vocamus, ſuccorum genus & lapidum, terras minerales, chalcanthum, mercurium, ſtibium, ſales multiplices, ſulphur & bitumen: tantæ molis fuit, hæc inſtructa ad humanæ gentis delicias terreſtris elementi πανοπλίη.

VERVM caue credas hæc eſſe otiantis naturæ ludibria, vel iners terræ pondus; omnibus & ſingulis ineſt virtutum miranda varietas: auro firmatur vis cordis languidior; humanis vſibus nihil argento præſtantius; vlcerum κακοηθείαν emendat plumbum refrigerans, aſtringens, emolliens, ſic ſæpe ſub ſordido palliolo latet ſapientia: ferrum commendat, non ſpecioſa forma, ſed temperata qualitas morbis profligandis pluribus idonea; chalcantho nihil ad ἔμφραξιν vel obſtructa præſentiùs, illius tamen ſpiritu & ſale vtendum cautiùs, aquis illo medicatis tutiſſimè: ſtibij facultates nondum omnibus conſpicuæ, innotuit deleteria, ſalutaris nulla, vel rara, vel occulta: mercurij, ſerui illius fugitiui, in externis affectibus eſſe dotes eximias nouimus: quid ad condienda fercula communi ſale acceptius? Armoniacum ignorat Medicina, Gemmeum ad ſegnioris alui ἐρεθισμοὺς commendat: Nitrum ad poculenta refrigeranda cenſet conueniens; ſuam & Alumini ineſſe vim nouit inſigniter συπτικὴν: ſulphuris denique quam ſit in arte medicâ ſalutaris vſus, abundè teſtatum reliquêre Dioſcorides & Galenus.

ATQVE illas de ſinu ſuo fundit tellus diuitias, dum ignis & aquæ fouet nexus & complexus mutuos: verùm his & accedente bonorum cumulo, dum illîc emicant fontes vim & facultatem metallorum adepti, qui plurimis corporum affectibus medentur: non omnes illi quidem calore & ſiccitate inſignes, ſed benignâ qualitate ſæpiuſcule & ἐπιεικέως perfuſi atque temperati: abſit diuinâ factum prouidentiâ, vt qui vbiuis terrarum fontes metallici ſcaturiunt, maligni ſint atque tabifici: eſſentiam quidem facultates comitantur & eſſentia miſtiones; atque in metallicis quamquam πυρῶδές τι, vel & igneæ ſubſtantiæ plurimùm reperitur, ſi tamen materiæ metallicæ diuerſitas, ſi miſtionis modus, ſi cœli ſolíque conditio, ſi perfluentis aquæ temperatura frigidior æſtimentur, temperantur ſingula, fitque mutua facultatum ἀντιῤῥοπὴν & ἀντιςάθμησις: numero inter metallica, ſunt temperatiora quædam? in auro, plumbo, ferro, vel & chalcantho itâ factum nemo vel inuitus negauerit: verum, quiſquis es, falleris, ſi ex ſolâ metallorum naturâ aquarum metallicarum vires metiris: reperitur in mixtis quod nemo viderit in ſingulis, eſt in illis θεῖόν τι & nuſquam maiora fuiſſe quam his in áquis curationum miracula: negas? aquas metallicas inuiſe, illîc, ſi ſanus es non rationi: ſi ſobrius non ſenſui, vel oculatæ fidei aduerſaberis.

NVM ergo viſceribus nutritiis æſtuantibus eſt aquarum metallicarum potu ſalubris? intemperies viſcerum raró nuda, illam ferè comitatur humoris vitioſitas conſpurcans viſcera fœdâ illuuie, quæ vel exilibus abſtruſa venis altiúſque condita, obſtructiones parit multiplices: hinc minus libera natiui caloris ἔκλαμψις καὶ διαφόρησις, inde θερμὸν πολέμιον καὶ κτεῖνον: his autem prudenter occurret Medicus φιλόσοφος, ἰσόθεος, ſi primùm communem corporis ſentinam exoneret, ſi deplendæ venarum plenitudini cacochymicæ venæ ſectione conſulat, totieſiterandâ, quoties & morbi magnitudo & virium robur poſtulauerit; ſi viſcidiorem illuuiem incîdat, attenuet: acriorem temperet, catharticis eliminet ἀθρόον vel κατ' ἐπίκρασιν, ſi denique inuſtum καῦμα viſceribus, & obſtructionum relliquias, ratione victus idoneâ & poculentis aquis metallicis obliteret: Eam ob rem Pugenſes aquas, Spadenſes & Forgenſes Regias laudamus, in quibus tam ad Polycleti regulam temperatus eſt metallicorum concurſus, vt qui malignas eſſe crediderit, ſuam peruicax ſenſibus negare fidem iure videatur.

Ergo viſceribus nutritiis æſtuantibus aquarum metallicarum potus eſt ſalubris.

240.